

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 34. Preces publicæ hanc in rem Romæ a Papa decretæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](#)

„ctos advocabo, ut cuiuslibet senten- Sæcul. XVI.  
 „tiam desuper percipere, ac tandem A.C. 1595.  
 „rem decidere valeam., Postea per-  
 lectis Regis literis, ac præfato libello  
 supplici tandem hic Senatus solvebatur.

### §. XXXIV.

*Preces publicæ hanc in rem Romæ a  
 Papa decretæ.*

Interim summus Pontifex solemnies Thuan. &c.  
 supplicationes per universam urbem, Avil. l.c.  
 necnon quadraginta horarum preces lett. 30.  
 decernebat, ad implorandam in expe- pag. 470.  
 diendo tantæ molis negotio Dei optimi  
 Maximi gratiam: quinimo ipse Ponti-  
 fex, ex ædibus Quirinalibus circa au-  
 roram exiguo stipatus comitatu nudis  
 pedibus ad ædes S. Mariæ processit,  
 & post longam orationem sacrum ce-  
 lebravit, & nudis, ut venerat, pedi-  
 bus demissso capite neminem respiciens,  
 flens, neque benedictionem occurren-  
 tibus impertiens, ad Palatum rever-  
 sus est.

Postea rem Divinam ipsus peregit,  
 & bina adhuc vice scilicet die quinta  
 Augusti, necnon decima quinta ejus-  
 dem Mensis die, quæ erat Beatæ Vir-  
 gini in cælos assumptæ sacra, eodem  
 ritu hisce supplicationibus interfuit.

Porro Feria secunda, seu septima  
 ejusdem Mensis sigillatim Cardinalium

li 4                    sen-

Sæcul. XVI. sententias rogare cæperat, huic negotio viginti tres omnino dies sacrabat: A.C. 1595. cum vero ex Cardinalium numero potissimi Regi absolutionem esse indulgendam opinarentur, Papa rursus convocato Patrum Senatu declarabat, quod collectis omnium Purpuratorum sententiis eorum potissimi in eam abeant sententiam, quod Rex, ut in finum Ecclesiæ recipi posset, ab Ecclesiæ censoris absolvendus esset, ac proin adjuvante Dei gratia cum ejusdem Procuratoribus agere vellet, ut eis ipsius Regis nomine conditiones, & satisfaciendi modos injungeret, quos magis utiles, atque ad Ecclesiæ bonum, Deique cultum magis idoneos censebit. Evidem Marcus Antonius Columna Cardinalis quædam opponere parabat, verum Papa imposito mox silentio hæc reposuit: „abunde res discussa est, utpote ex potissimum suffragiis decisa, proin haud convenit, ut res jam composita, ac semel rite conclusa rursus in controversiam vocetur...“ Hæc verba Pontifex voce animi firmitatem prodente pronuntians, Purpuratos valere jussit.

## §. XXXV.

*Conditiones utriusque Regis Procuratori pro impetranda absolutione propositæ.*

Rebus